

## EXERCITATIO LIII.

*Demonstratur animæ immortalitas, id est, perpetua cogitatio, ex ipsa ejus natura.*

1. **V**itam *existentiæ actuosæ* nomino, cum verbum vivere accipitur pro agere & operari; seu potius (id quod frequentissimum est) pro efficacia quadam in agendo: & sic *mori* dicetur quod agere cessat, quod non amplius est efficax, ut muscæ tempore hiberno censentur mortuæ & ignis exstinctus dicitur, dum non amplius ardet & lucet. Vide Logicæ meæ partem quartam quæst. 48 & seqq. Sic Sol dicitur omnia vivificare, id est, movere, agitare.

2. Virgilius *Æneid. X. vivida bello dextra*, id est fortis, ut *Æneid. V. bello vivida virtus. Æneid. I. vivo tentat prævertere amore*, id est, vehemente. *Æneid. II. flumine vivo*, id est, perenni, semper fluente. Germani dicunt, *es lebt alles was an im ist*, hoc est, admodum agilis est, de homine loquentes intellige. De loco minùs frequentato ajunt, *es ist so todt in dieser stadt.*

3. Vi-